



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XLVIII. Fugere interdum licitum est, & quæ in fuga obseruanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

tenerent, raras in muris defensores ostenderunt, & Afrubalem incaute subeuntem ceciderunt. Eadem arte Afulani Pompeium fugarunt, & Popilium Lænatem Numantini. Apolloniates à Philippo Macedonum rege obfessi, noctu præsidium Romanum introrulerunt, & totum diem sequentem quieverunt, securis deinde hostibus noctu superuenerunt. Liuius lib. 33.

Cataractæ nunc quoque visitantur.

§. 5. Cataractas ante portas ponere penfiles olim etiam visitatum fuit. Veget. l. 4. c. 4. *Cauetur prater ea, ne porta subiectis ignibus exurantur. propter quod sunt corijs & ferro regenda. Sed amplius prodest, quod inuenit antiquitas, vt ante portam addatur propugnaculum, in cuius ingressu ponitur cataracta, quæ annulis ferreis ac funibus pendet, vt si hostes intrauerint demissa eadem extinguantur incelsi. Ita tamen supra portam murus est ordinandus, vt accipiat foramina, per quæ de superiore parte effusa aqua subiectum resinguat incendium. Liuius de Salapianis. Porta cataracta deiecta clauserat, eam parum vectibus leuant: partim funibus subducunt in tantum altitudinis, vt subire recti possent. Vix dum satis patebat iter, cum persuga certatim ruunt per portam: & cum sexcenti ferme intrassent, remisso fune, quo suspensa erat cataracta magno sonitu secidit. Salapiani alij persugas negligenter extiterunt suspensa humeris, vt inter pacatos, gerentes arma invadunt: alij è turribus porta murisque saxis, sudibus, pilis absterrent hostem.*

Facile obfessi quocunque loco, si primo quiescant, deinde subita audacia erumpant, possunt liberari. Furius Consul primo obfessus dum timere putatur, decumana porta erumpens hostem incautum cecidit. Liuius libro tertio. & Cæsar (libro quinto. belli Gall.) cum adeo contemneretur, vt vallum manu scindere, fossas complere inciperent, omnibus portis pedites equitesque emisit, & in fugam hostes dedit. Sic à Labieno Induciomarus fugatus, sic in Africa Pompeiani. Marius etiam Cimbrorum petulantiam diu sustinuit, donec milites assuefecit eos non timere.

Defensores optimus murus.

Cum murus ruptus est, facilis est nihilominus defensio, sit modo animus. Pluribus modis sese defendunt, maxime armis, quo circa cum fortes sunt propugnatores, parum est ostium aperuisse, si ferro obseptum est. Aliquando subito obturant interualla saccis lanae plenis, doliis terra aut fimo plenis, trabibus, cistis, sportis terra plenis, palis ferreis, circumposito stramine vdo ac terra. Sarcinae proiciunt & incendunt, murices iaciunt, & loco muricum asseres plenos clauis, quibus se oppugnantes induant, machinam rotatilem dimittunt, & retrahunt, interdum cataractas erigunt. Optimum in vicino fodere, ne ex muro descendere in urbem possint, & ad latera disiecti muri propugnacula edificare; omnia vero ante oppugnationem comparanda sunt, vt in summa festinatione sint in promptu. Lapides etiam omnisque generis ignea fomenta iaciunt, qua in re mulieres etiam puerique auxilio esse possunt.

Conon obfessus duas celoces misit, quæ cursum diuersum tenerent, quæ vesperi, cum ad litus plurimi hostium accessissent, euaserunt.

Hippodamas obfessus cum nuncium admittere non posset, stanti foris acclamauit, sceminam in æde Chalcioeci ligatam sibi molestam esse; Ea famis erat effigies, hostes etiam audirent, rem tamen non intellexerunt. Prodidit scortum Diognetum Naxium impetrata venia, vt fratribus bellatorum aliquid mittere posset, placentæ laminam plumbeam indidit, cui inscriptum erat, Milesios vino sepultos noctu inuaderent: Nuncio autem mandarat, diceret fratribus, vt ipsi placentam ederent. Harum ostes Lacedæmonius cum bidui cibaria haberet, & præco Sparta missus ante mœnia dicere iuberetur, ab Atheniensibus

obsidentibus, quæ in mandatis haberet; Dixit; Ephoros iubere magno animo vt esset, subsidio venturos, Respondit ille: Ne festinare, quinque mensium cibaria habemus, quo mendacio delusi Athenienses, cum hyems instaret obsidionem soluerunt. Polyar. l. 2.

§. 6. Neque minor industria in ostentando commeatu copia, ne hostis speret fame ciuitatem capturi. Athenienses & Romani triticum iactarunt. Casilinales, cum Hannibal locum urbi vicinum, ne herbas peterent exarsset, semen eo iecerunt, vt ad messem usque frumentum habere viderentur. Reliquiæ Variarum captiuos tota nocte circum horrea duxerunt.

Commeatus ubi abest est simulatur.

Segebergenfes cum à Waldemaro obsiderentur, & frumento carerent, molaria tamen saxa exasperabant atque agebant, vt hostes eos abundare putarent.

Monasteriensis anno 1535. ne destitui cibariis viderentur, arare suburbanum agrum ceperunt, quasi ad messem toleraturi obsidionem. Alij horrea inania arte custodiri iusserunt.

Lucius Antonius crudelius egit, nam seruis carceres impleuit, & fame confecit, quod nollet in eos cibos impendere, nec dimittere, atque illa est Perusina fames.

Franciscus Barbarus Brixiam tenuit, donec Vicecomitum obsidio solueretur, quod mulos arena onustos inducens, speciem frumenti allati præberet, atque ita multitudinem animabat.

§. 7. Famem diutissime sustinuerunt multi. Petilini in fame parentes & liberos eiecerunt, corijs, folijs, omni animalium genere vitam tolerarent. Casilinales eodem modo, & Numantini. Sed fortiores Cyziceni, qui captiuorum morte ad deditionem percelli non potuerunt, vt nec Aginenses, qui spectare pignorum supplicia maluerunt, quam à Romanis deficere. Cæsar sibi consilium esse dicebat, quod medicis, fame potius quam ferro vincendi.

§. 8. Commeatum inuere variis artibus instituerunt. Casilinum Primo doliis farina plena: Secundo Vulturno, deinde nucis sparsere Romani, cum doli excepta per catenam essent. Hircius Mutinensibus per Minturnum pecora misit.

Jacundum spectaculū inducendis in urbem portis, Agmen porcorum cum obfessi in urbem inducere non possent, vno arrepto præcurrerunt, ad cuius grunitum tota cohors impetu sequebatur.

CAPUT XLVIII.

Fugere interdum licitum est, & quæ in fuga obseruanda.

§. 1. **FUGA** aut stratagematica est, aut vera; de hac agimus, quæ duplex est, vel totius exercitus, vel partis. De toto genere rem paucis propositionibus explicabo.

Propositio I. Cum toti exercitus periculum imminet in bello iusto melius est heroica fortitudine præliari quam fugere, quia in fuga est magnum decus. Exemplo est Judas Macchab. l. c. 9. a. v. 6. Et viderunt multitudinem exercitus, quia multi sunt & timuerunt valde: & multi subtraxerunt se de castris, & non manserunt ex eis nisi octingenti viri. Et vidit Iudas, quod defluxit exercitus suus, & bellum perurgebat eum, & confectus est corde: quia non habebat tempus congregandi eos, & dissolutus est. Et dixit hi, qui residui erant: Surgamus & eamus ad aduersarios nostros: si poterimus pugnare aduersus eos. Et auertebant eum dicentes: Non poterimus, sed liberemus animas nostras modo, & reuertamur ad fratres nostros, & tunc pugnabi-

Præstat præliari quam fugere.

Iudas cum
paucis se dat
in periculis

gnabimus aduersus eos: nos autem pauci sumus. Et ait Iudas, Abstine istam rem facere ut fugiamus ab eis: & si appropiauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriae nostrae. Fortissime Judas, quem optime defendit vir doctus iuxta ac pius Nicolaus Serarius. Sed quaeritur, an recte, tam paucos cum habuerit tantum in discrimen se coniecerit? Respondeo recte, cum heroica fortitudinis opus ediderit, ad quod recte aggredebatur, quia diuino auxilio à paucis magnas hostium copias saepe fusas sciebat, reque ipsa expertus fuerat. Hostilibus enim viribus ut obuiam irent, Abraham, Gedeon, Ionathas, Dauid, alij, quantos ipsi exercitus eduxerunt? Heroica fortitudo non communem tritamque fortitudinis viam, sed arduam magis, difficilioremque Deipotius quam suo ipsius robori confidens ingreditur. Ideoque supra 2. Machab. vltim. vers. 7. Machabeus autem semper confidebat cum omni spe, auxilium sibi à Domino affuturum. Et ibidem vers. 19. allocutus est eos de lege & prophetis, admonens etiam certamina quae fecerunt prius, siue ut in graeco adhuc sonantius est, *αὐτοὶ ποιοῦντες αὐτοὶ καὶ τὸν ὁμοῦν ἐκ τῆς δυνάμεως*, redigens ipsis in memoriam etiam certamina illa grauissima, quae perfecerant. Sibi ergo etiam ipse eadem omnia haec in memoriam reuocans, simulque magnifica illa, quae in lege & prophetis promissa sunt, de quibus Deuter. 28. & hoc libro supra capite tertio, vers. decimo octauo, & decimo nono, capite 4. vers. 8. sicque in hostes heros fortissimus irruit. Maluit Judas mori in praelio, quam pugnam detrectasse videri, ne videretur de Deo parum sperasse. Et gloria ipsius ad gloriam Dei quoque spectabat.

Propos. II. Haec fortitudo quamuis laudatissima sit, poterit tamen prudens imperator negare pugnandi copiam, etiam copias infirmiores subducere, ne impar hosti congregiatur. Minus enim reip. nocet, illa cautione, quam praecipiti praelio. Nec prudenter periculum subitur, cum victoriae parua spes est. Faciendum itaque, quod faciebat Antigonus, qui inani gloriae utilitatem praeponebat, cedens enim dicebat: se victoriam retro positam quaerere. Honestius quidem sit detrectando praelium, sed si subducipote sit sine periculo exercitus, etiam in ipso praelio fieri potest.

Haec de vera fuga, nam simulata laudabilis est, ut cum timorem simulauit Paulus Aemilius, donec Ligures castra adorti improvide caesi sunt; Fimbria ad eo timere visus est Mithridatis filio, ut equitibus intra angustias munimētorum progressis, sex millia se occidenda praebuerint. Velius ab Asdrubale petiuit, ut sibi incolumi abire liceret, ea simulatione hostem ad securitatem perduxit, & cecidit. Caesar cum duabus legionibus auxilio Ciceroni veniens, metum simulans, militemque continens effecit, ut Galli securi ad castra accederent, itaque inordinatos occidit.

Fuga aristocrata.

Egregium factum Aristida Eleata fuit; Dionysius Cauloniam oppugnabat, Aristides duodecim triremibus subsidium ostentabat, sed cum Dionysius quindecim opponeret, quasi metuens recessit, & noctu facies incendit, quas Dionysiana classis sequebatur; ille sensim alias faces suberibus magnis adaptatas in mare demisit, seque per obliquum subducens Cauloniam appulit Dionysio faces sequente.

Si totus exercitus vere fugit, colligatur quam citissime, firmetur, muniatque; & insidiae parentur hosti. Si pars fugata est, altera vicit, Victoriam sibi vindicet, omniaque provideat, ut insidias fruiere possit. Tunc enim opportunus est & securus.

Solutis ordinibus non est fugiendum.

Propos. III. Nunquam conuenit statuere principem, ut dissolutis ordinibus effusa fuga exercitus se proripiat. Nam in pugna pauci, in fuga plerique omnes pereunt. Nobilis fuit inter Campionem & Selymū pugna: utrinque cecidere, sed fuga plures quam praelium abstulit.

Propos. IV. Militi fugere non licet quam diu ordines manent, aut signum, aut dux, aut centurio consistit, etiam si videat se in praesentissimo mortis peri-

culo. Nam iureiurando id promissit, Periturus igitur est, si fugit. Deinde bono publico fidem obligauit, fuga Rempubicam prodit, pugnando & moriendo seruat.

Propos. V. Si signa capta sint, si exercitus magna pars fugiat, nec in resistendo spes villa est, potest milites fugere. Quia nulla publica utilitate moreretur, cum tamen vir fugiens iterum pugnare possit. *αὐτὸς δὲ φεύγων πάλιν μάχησεται.*

§. 2. Prouerbio dici solet, maiorem esse artem fugiendi quam pugnandi; verum ingeniose fugere, atque alibi se qui victoriam laudis est.

Fuga stratagematum non est ignauiae, sed industriae, ut dixi.

Fugae itaque consilia, cum eam necessitas facit, salubria sunt. Tryphon aurum sparsit, ut milites moreretur. Sertorius & Viriatus spargi milites voluerunt, & in locum conditum conuenire. Multi hoc modo seruantur; nam si hostis quoque spargat suos, cum periculo id faciet, & ubi milites conuenerint, facile disperso nocere poterunt. Nunquam autem persequentes sparguntur, nisi victoriam amittere velint. Cononem Callicratides triremibus sequebatur, cum vero ille distractam classem cerneret, sublato signo persequentes inuasit & vicit.

Fuga expectata venocat hostis.

Afranius Caesarem fugiens, cum euadere non posset, castra muniuit, id cum Caesar faceret, & pabulatum misisset, itineri se dedit. Magna dexteritas, eoque clarior, quod Caesarem fessellit.

Antonius cum mane à Parthis infestaretur, usque ad horam quintam moratus est, Parthi iam fessi, cum mansurum ea die putarent, retrocesserunt ad curanda corpora, ille iustum iter reliquo die sine interpellatione confecit.

Philippus in Epiro victus inducias sepeliēdis mortuis petijt, & sic euasit, simulatione pietatis ad salutem viuientium abusus.

Pæni classe victi simularunt in vado hærere se, omniaque fecerunt, quae solent hæreres, Romani vadosa loca rati flexerunt, & spacium fugientibus dederunt. Quod enim fugientibus saluberrimum erat, hostes evitabant loca, per quae ipsi fugiebant.

Titus Vastus simulachrum in lecto deposuit, & fugit, custodibus simulachrum seruantibus. Poly. l. 8.

Nicon hostem fessellit, cum suam nauem eodem modo quo illi texisset. *Astutia affusa.*

Multi autem eo modo vsi sunt, ut hostium insignia vestireque sibi adaptarent.

Demetrius Phalereus in curram stramine plenum se abdens euasit. Miserrimum, sed in rebus pessimis salubre effugium.

In via angusta Idem cum hostes tergum inuaderent, omnes currus opposuit, & incendit, hostesque moratus est, donec euaderet. Polyan. l. 4. Artemisia duo signa habebat, Barbarum & Graecum, quorum alterum ut opportunum erat, sustulit. Polyan. lib. 8. Cum in periculo esset, ne à Graecis caperetur Persica signa detrahi iussit, & in nauem Persicam impressionem fecit, atque hac ratione in Cariam abnauigauit.

Aegyptus cum se quaeri sciret, atque adeo in naue esse inhiatores; Naclero dixit, iret & Aegyptum quaerere, iam soluendum esse. Hoc audito inhiatores in vibem eum quaesitum irruunt, ille refecto fune nauigauit. Polyan. l. 6.

Themistocles cum Ioniam delatus esset, Naclero se aperuit, minatus, nisi abnauigaret, dicturum se, pecunia conductum, ut se aucheret. Timore itaque calumniar hostem patriae in tutum auxit.

Diotimus cum decem nauibus velocioribus fugeret, viginti Lacedaemonias puppibus in eas aliquanto inuectus demergebat. Polyan. libro primo. Ete o-

nicus

Fuga inuit.

nicus Lacon cum obsideretur ab Atheniensibus, & audisset, suos ad Arginus victos, quasi laeto nuncio sacrificauit, coronatos nuncios ire iussit, itaque consternati Athenienses quieuerunt. Ille effugit, exercitumque deduxit. Tanti est mature nuncios mittere. Si prior Callicratides Atheniensium dux rem percepisset, utroque loco debellatum fuisset, errorem hostibus iniecit, atque ita euasit.

Brasidas aliisque cum vallo includerentur, expectarunt, donec fere conclusus esset agger, atque ita in angusto à latere & tergo securi pugnauerunt.

§. 3. Hostes ne fugientes persequantur, vario stratagemate effectum est. Cræsus flamma Cyrum à persequendo retardauit: Polyæn. lib. 7. Mithridates fugiens cuiusdam vrbs suppellectilem in publico posuit, quæ persequentes tardauit, adeo, ut nollet decibus parere.

Froto Danorum rex victus ab Anglis, sparsa pecuniâ, victorem remoratus est. Galli curtus serico aliisque oneratos reliquere, & Cæsarianis de præda contententibus cladem intulerunt. Antigonus sic Gallos quoque decepit olim: valde enim cladibus est obnoxia auaritia.

Magna dignus laude Comminius Atrebas, cum enim victus Iulii fugeret, ad naues venit, quæ in sicco stabant, ventus secundus erat, ætus contrarius, itaque pandi vela iubet, quæ Iulius ex longinquo speculatus, cum prospero cursu abire Comminium arbitraretur, recessit.

Iphicrates à tergo fossam fecit, ne fugere milites possent; At credo potius ne à tergo possent circumueniri, nam parua manu contra magnam multitudinem pugnabat; fossam enim transire adeo arduum non fuit.

§. 4. Tutela fugientium est, celare cladem. Artabazus cladem celauit, cum Thessaliam transiret, Nonnulli hostem igne ludificati sunt.

Ammianus Marcellinus cum fugere & latere non posset, equum, cui lumen imposuit per planiciem ad dextram misit, cum sequentibus Persis, ipse ad lauam in montes cum suis euasit.

Calliditatis etiam bellicæ fuit dare signum fugæ publicum, interim priuatim monere, ut agmen extremum subsistat.

Cum à Thracibus Philippus fugeretur, iussit ad signum fugæ extremum agmen consistere, ut alij viam præoccuparent. In tenui spe audacia tutissima est.

Eumenes cum fugiens Gallos lætica portaretur in collem se poni iussit, illi insidias suspicati à persequendo desisterunt.

§. 5. Ignobilis quorundam sed callida tamen fuga est visa.

Seleucus à Cilicia fugiens armigeri habitum sumpsit, & officium hoc Amyctioni duci præstitit. Nicolaus Picininus sacco inclusus à Todeſchino satelite ferebatur per medios hostium, & rogantibus, respondebatur; panem ferri. Fulgof. libro septimo. cap. 3.

Lachares fugiendo felix fuit, Thebis captis in cloacâ delituit, Sesto cum mulieribus mortuum lugentibus egressus est, Athenis veste seruilis & faciem atratus, calathum sterquilinio repletum ferens egressus est, Deinde equum conscendit & iactis Daricis persecutores moratus est. Boëmundus per Alexij inimici ditiones transiens in loculo velut mortuum se ferri curauit.

§. 6. Cum recedendum est ab hoste quia fortior est, id primo agendum, ne timore putet fieri, sed prudentia, alioqui milites fugiunt. Deinde omnia facienda sunt, ne hostis discedere animaduertat. Hinc equites solent initio ponere, noctu ignes accendere,

pugnam simulare. Qui vero tantum recessit, ut syluam, montes, fluuium transierit, facile reliquum iter conficit; nam posito præsidio morari hostem potest, donec ad locum destinatum venerit. Græci, qui cum Cyro minore in Persidem profecti erant, cum hostis insequeretur, atque adeo noctu recederet, longiusque castra poneret, ne per tenebras inuaderentur, ipsi noctu profecti sunt, adeoque prægressi, ut quarta primum die eos assecuti sint Persæ.

§. 7. Finis autem fugæ, ut victoriam recipiant: cuius insigne exemplum est Antigonus. Nemo facile inuentus est, qui victoriam tam generose receperit, sicut is, de quo dixi, Antigonus. Rem describit Polianus libro quarto. Antigonus naues habebat centum & triginta, quibus præerat Nicanor. His aduersus Polychosti classem nauale prælium committebat, quam ducebat Clytus. In Helleſponto pugna conferebatur. Nicanor suis ob imperitiam in aduersos fluctus coactis, septuaginta naues perdidit. Cum victoriam palam hostes in manibus haberent, sub vesperam Antigonus aduenit, neque acceptam cladem metuuit: sed eos qui in reliquis essent sexaginta nauib, paratos & instructos ad pugnam naualem iterum sub noctem esse iubet: & ex satellitibus fortissimum quemque ad nauigia constituit, hisq; dat præceptum, ut minentur, se mortem omnibus allaturos, qui non in pugnam prodissent. Et cum Byzantium in propinquo sitam ciuitatem societate & amicitia coniunctam haberet, inde confestim ad moderandos remos mitti imperat scutatos, & leuis armatura milites, milleg, sagittarios, qui in hostium naues soluentes iacula sagittasq; conicerent. Hac per vnam noctem administrata sunt. Incipiente vero diluculo, cum infesta pile spiculaq; illi mitterent, hostes autem tum somno nondum soluti, tum recens excitati, sine cautione vulnera acciperent, alii funes abrumpere, alii consensorios asseres retrahere, alii anchoras leuare: breuiter omnes vociferationem ac tumultum ciere. Antigonus sexaginta quoque nauib signum dat, ut appellerent, cumque furore & impetu impressionem facerent. Sic statim accidit ut alius à litore iaculantibus, alius naues infestas adducantibus, victores à victis superarentur. Huic par est illud Sertorij. Cum in vrbe Castulone statura haberet Q. Sertorius sub Didio prætoris tribunus militum, atque per noctem Castulonenses in vrbem Gyrissenos hostes accepissent, vna in Sertorianos inuehit, atq; eos occidere ceperunt. Sertorius ex auditu clamore clam cum paucis ab vrbe egressus, haud longe à porta constitit, & fugientes suos colligere, atque in aciem ordinare cepit. Cum autem iam satis magnam manum collectam videret, eadem porta, qua hostes inuehit, in vrbem regressus, hostes inuenit in diuersa loca sparsos, vni præda imitos: itaque paruo temporis spacio eos fudit, atq; ipsorum arma induit. Instructa per hunc modum acie, sub Gyrissenorum specie, Gyrissam contendit, ubi à nihil tale suspicantibus, cum suis esse, qui redirent, arbitrantur, portarum fores aperta sunt. Sic vrbem cepit, totamq; diripuit, ut hostibus quod Castulone malum dederant, cumulare referret. Fulg. l. 7. c. 4.

§. 8. Ignis interdum alio dirigunt, qui nauigant, ipsi sine lucetna alio cursum tenent. Fridericus Marabotus Guelfus, cum fugeret Auriam, iamque euadere posse desperaret, noctu suas triremes monuit, quo esset nauigaturus, lucernam deinde scuto apposuit, quæ in litus eiecta est, quæ hostis persecutus copiam effugiendi dedit. Fulg. l. 7. c. 4.

CAPVT XLIX.

Fugam hosti non facile intercludendam.

§. 1. **P**RYDENTER Scipio fugientibus viam muniendam dicebat, Themistocles etiam Xerxem de fuga admonuit, ne ratam barbaræ multitudinem inter viscera Græciæ contineret. Eadem Alphonsus mens, qui fugienti pontem argenteum esse sternendum censébat. Iphicrates etiam sensim secutus est fugientes, nec ad flumina virgebat, ne desperarent; Vt

Nihil speciosius duci, quam videre hostem fugientem.